DE

SCARLATINA

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS AUCTORITATE ET CONSENSU
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS LEGITIME IMPETRANDIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS BRISKEN
ARNSBERGA-GUESTPHALUS

DIE XXVII. M. SEPTEMBR. A. MDCCCXVII.

BEROLINI
TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

CLARISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMO

DOMINO

JOANNI STOLL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CONSILIARIO
IN COLLEGIO REGIMINIS BORUSSICI REGII, CONSILIARIO RERUM MEDICINALIUM NEC NON PLURIUM
SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI.

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM

PRIMITIAS

DEVOTIONE MAXIMA

DEDICAT

AUCTOR.

Nosologia.

Scarlatina exanthema est contagiosum, febrile, quod praevio plerumque, interdum continuante in faucibus dolore et rubore, forma macularum latarum colorem rubrum, cinabarinum referentium, in tota fere cutis superficie emergit, post paucos dies evanescit cum epidermidis desquammatione, nec facile in eodem subjecto pro secunda vice revertens, libenter leucophlegmatia et ascite praesertim malo sub reconvalescentis regimine terminatur.

Febris continua remittens, consuetis aliarum febrium signis ingruit, ante plerumque exanthematis eruptionem raro serius (Vogel, Handbuch der practischen Arzneywissenschaft 3. Bd. pag. 233.) et calore ferventissimo, qui saepe ad 106 — 112° Fahrenheit in decursu morbi observatur, et pulsuum summa celeritate (Bangs, praxis medica. Hafn. 1789. pag 116.) distinguitur. Subinde mitissima, passim funesta, durationis differentis; vel in eadem constitutione, nunc intra paucos solum dies conclusa, nunc intra plures septimanas, quae inflammatoriam, biliosam, putridam et nervosam saepe indolem aemulatur a Sauvagesio sub febris intermittentis quoque facie conspecta (Nosogia method. edit. Daniel. tom. tom. II. pag. 311.)

Sub reliquo morbi apparatu praecipuus quoque nuntius est auginodes affectus, qui a priscis medicis in morbo scarlatinoso neglectus, vel cum febre simul et ante exanthematis expansionem adest, vel utramque sequitur.

Exanthema die incerto conspicitur, magnitudine, extensione, forma, habituque varium. Maculas rubras offert, multiformes, irregulares, radiatas, rotundas, majores aut minores, per quorum interstitia cutis non obsessa transmicat (Scarlat. maculosa). Non vero confluunt, et rubor per omne diffunditur corpus (Scarlat. universalis), saepe facies sola, aut pectus et brachia rubent, aut exterior carpi pars levi rubore apparet suffusa, cujus vestigium nusquam alibi deprehenditur. Qui, cum post horam aut serius rursus dispareat, eo facilius a medico haud observatur. Maculae nec in omni subjecto, nec omni in plaga eundem offerunt ruborem, quippe qui modo saturatior modo dilutus magis appareat. Posterius praesertim erumpentibus proprium est, donec serius in cinabarinum, aut cancri cocti, aut minio similem, aut in puniceum vertantur. Livescunt saepe, coerulescunt, intersitis quandoque maculis nigricantibus, (scarlat. putrida) vel pellent non evolutae et fugaces (scarlat. nervosa). Prementem digitum rubor cito fugit, qui remota manu a peripheria ad centrum subito revertitur.

Cutis vero nunc sine omni aspredine rubet (scarl. simplex levigata) nunc in moeleculas attollitur similes iis, quae ex urticata nascuntur (Sauvagesius loco citato) aut ex miliaribus (scarl. miliaris). Saepe pustulae lympha limpida minime repletae maculis insident, quae lympha in morbi decursu calore dissipata, vacua relinquit receptacula (scarl. pustulosa); aut pustulae hae in vesiculas confluunt, quae ruptae brunea exanthematis superficiem tegunt crusta (Störk annus medicus II. pag. 48.). Prior in morbo summe sthenico posterior malignitatis comes rarius conspicitur.

Ob magnam miasmatis in nervos et encephalon proclivitatem, praeterea capitis et faciei turgor peculiaris, congestio, delirium, et convulsiones jam primo in limine morbi exanthematici saepe observantur, adeo, ut vix morbum videas, quo aegri facilius et saepius desipiant. Mira hic scarlatinam inter et encephalon videtur adesse relatio, quae inter morbillos et pulmones intercedit, cum mala aegrotantium sorte.

Quae vero morbo absoluto renovari solet tota cuticula et sub furfurum aut laciniarum forma decedere, aeque ac leucophlegmatia et ascites posthuma, diagnosin factam potius corroborant, ac regunt, unde utramque alio loco considerabimus.

Quamvis autem febris, angina et cutis efflorescentia praecipua sint momenta, quae medicum ducant in cognoscenda scarlatina, tamen non semper illa nec ubique conjuncta occurrere jam monuimus. Scarlatinam enim inter plures Selle (Rudimenta pyretologiae pag. 171.), Hoffmann (erste Nachricht von der Anstalt für arme Kranke in Altorf 1787) sine angina conspexerunt; anginam sine exanthemate vero Rosenstein, Conventry (de searlatina cynanchica. Edinb. 1786. pag. 16.), Eichel (Acta societatis Hafniensis vol. II. pag. 40), Reilius (über die Erkenntnifs und Kur der Fieber, Bd. 5. pag. 107.) et alii; nec non a Stollio legitur descripta, qui eo tempore, tum inter juniores febris scarlatina grassaretur, inter adultos anginam solam conspexit (Aphorism. vindeb. 1786. pag. 205); quid, quod febrim ipsam absentem velint aliqui observatam, quorum tamen observationibus merito diffidimus.

Juvabit hoc in casu, genius epidemicus, contagium admissum, nondum superata aegritudo, et empirica quaedam signa, quibus praesertim peculiaris odor ante exanthematis eruptionem adnumerandus, quem Heim percepit primus similem illi, qui e longinquo e rapacium animalium viva

riis eructatur. Quo minor nares ferit, eo malignius esse consuevit exanthema; quo magis evolvitus cutis efflorescentia, tanto magis imminuitur odor.

Comparatio denique scarlatinae cum alio exanthematis genere ad evitandos in diagnosi errores summi est momenti. Quae vero praecipue conveniunt, probe distinguenda sunt.

1. Morbilli. Sub scarlatina rubor late inficit cutim, qui in morbillis discernitur, in multas distinctas maculas, inter quas naturalis color transparet. Distinguitur vero utraque adeuratius, quod nos Willan (Note 2. zu Batemanns Darstellung der Hautkrankheiten) edocuit primis sub eruptione diebus, ubi morbilli, ex stigmatibus sensim confluentibus, maculas semilunares fere offerunt; scarlatina vero dispersum hincinde, et irregularem ostendit ruborem, qui idem in declinatione apparet. Maculae rubrae in morbillo paululum eminent, super reliquam cutim, sic, ut digito super eas leniter moto, quaedam scabrities deprehendatur. Apparatus catarrhalis, tussis, sternutatio, oculorum mador et rubor, tumor palpebrarum, quae signa sunt morbillorum propria, vix unquam in scarlatina inveniuntur. Praeterea morbilli quarto fere die in facie et quinto vel sexto in brachiis sensim et toto corpore apparent, scarlatinae vero efflorescentia incerto tempore, longe citius omnem cutis cingit peripheriam, nec decidunt squammae morbilloso morbo exantlato, sed furfurum forma epidermis defoliatur, nec hydrops sequitur, labe potius pulmonum aut oculorum relicta (Dreyfsig, Handbuch der medicin. Diagnostik. Erfurt 1801. pag. 328).

2. Rubeolae. Inter medicos lis est, scarlatinae, an morbillis adjiciatur hoc cutis efflorescentiae genus. Ziegler (Beobachtungen aus der Arzneiwissenschaft. Leipzig, 1781), Selle (loco citato pag. 43), Stark (Handbuch zur Kenntnifs und Heilung innerer Krankheiten. Jena, 1799.

pag. 528), Fleisch (Handbuch über die Krankheiten der Kinder. Bd. II. pag. 200) et alii rubeolam qua sui generis axanthema assumunt; Reil (loco citato pag. 102) vero pustulosae scarlatinae varietatem esse contendit. Interim maculas magis elevatas, ruborem saturatiorem, et interstitia libera cutis, quae majora esse solent ac in scarlatina, a Cappel adducuntur characteristica.

3. Miliaria. Incerto et vario tempore miliarum eruptio contingit. Praecedit sudor acidum redolens, qui non raro omnem comitatur morbum. Raro faciem obsident, angina deficit, cutis scabra est, et stigmata parva in cutis superficie rubent, transparente per interstititia sana et albida cute, nec fugit rubor papularum, obscurior longe, ac in scarlatina, digitum prementem.

4. Petechiae. Non facile hoc cutis efflorescentiae genus cum scarlatinoso confudes. Deficit angina, maculae circumscriptae sunt, minores, glabrae. Potissimum vero in differentia scarlatinae a petechiis respicienda sunt: febris maxime diversae phoenomena, putrida petechiarum indoles etc.

5. Erysipelas. Major est scarlatinae cum erysipelate similitudo, unde a quibusdam erysipelas universale dicta est. Interim erysipelas, a macula exigua rubra sensim latius serpit, nec diffunditur per omne corpus. Contagium nullum est, licet is repetenti morbo opportunior longe deprehendatur, quicunque illo semel tentatus fuit. Angina nulla adesse solet, et pustulae quandoque materiam acrem plorantes superficiem obsident cutis, quae ea saepe noxa imprimuntur, ut brevi fiant ulcera tarde ad sanationem ventura, quod in scarlatina vix unquam succedit.

6. Urticaria. Ab urticaria differt omnino, cujus offlorescentiae sunt rubrae, singulae, eminentes; vel maculae latae, confluentes, quae puncturas referunt urticarum, cito erumpunt, non diu

manent, facile recedunt, et iterum prodeunt, donec plane dispareant.

Plura de differentia exanthematum inter se vide: in Schroederi Dissertatione de febribus erysipelatosis. Göttingae 1771; nec non: Versuch einer medicinischen Diagnostik in Tabellen von Dr Carl Gustav Schmalz 3te Auflage. Dresden 1816. —

Decursus.

Scarlatina, cujus modo faciem et differentiam descripsimus, varie decurrit. Hinc morbi lenioris itinere per omnia stadia considerato, transibimus ad anomalae febris decursum.

A. Decursus scarlatinae benignae. Triplex universim morbi stadium est, irritationis nempe sive contagii, eruptionis sive exanthematici et stadium desquammationis.

Stadium irritationis. Praevia artuum lassitudine virumque dejectione, febris, quam supra descripsimus ingruit, continua, remittens. Horripilatio saepius calore alternat, cum dolore capitis, qui ad frontem non raro est vehementissimus. Pulsus velociter vibrant et inordinate, saepe parvi sunt, aliquando sub initio morbi duriores et pleni. Respiratio quandoque laboriosa et anxia est, cutis arida tangitur praesertim in vola manus, nec facile transpirat. Lingua sicca vel albo vel flavescente muco tecta, sitis urget, appetentia ciborum dejecta. Interim certum in faucibus plenitudinis atque constrictionis, interdum caloris acris et quasi exulcerationis sensum aegri accusant cum voce rauca, deglutitione aliquando difficili, et angina evolvitur, quam supra descripsimus. Non raro capitis dolor, vertiginosa oculorum obnubilatio, praecordiorum angustiae, inquietudo, nausea, vomituritio et vomitus succedunt; saepe narium haemorrhagia repetit aliquoties larga, et in infantibus nec non in omni

fere subjecto tenerae compagis, sopor, delirium, convulsio, raro solent deficere, quae symptomata nocte quavis ingravescunt. Stadium hoc spatii incerti ab uno ad tres dies plerumque excurrit. —

Stadium eruptionis. Solent erumpere die, a primo apparatu, secundo aut tertio primum quidem in facie, collo, pectore et dorso, tandem in abdomine, brachiis et cruribus difformes caput aciculae vel lentem magnitudine adaequantes maculae rubrae, quae sensim inter se confluentes, et colore et numero, quibus primis diebus multum varie solebant, constantiores factae, omnem fere corporis superficiem, nunc aequali, nunc inaequali, saturato rubore panni scarlatini adinstar suffundunt adeo, ut intra 48 — 60 horas, omni in parte laete floreant, facie, manibus et pedibus quandoque tumidulis. Albuginea quoque leviter rubet sine photophobia, nec pruriunt palpebrae, nec inflammatae sunt. Nisi levissimo sub morbo vix unquam febris impetum frangit eruptio; evanescunt tamen pectoris augustia, cephalaea, insomnium, inquietudo et delirium; saepe vero continuant desipere praesertim ad vesperas, aut soporosi sunt, aut inquieti. Faucium passio plerumque nec intenditur, nec decrescit, arteriarum ictus celerrimi et duri percipiuntur, atque calor saepe augetur. Signa gastrica raro desunt, obstipatio tamen alvi frequentior est, quam diarrhoea. Stadium hoc a 4 ad 6 plerumque dies trahi solet.

Stadium desquammationis. Macularum rubor quo coepit ordine sexto saepe, saepe nono die sensim evanescit, sicca fuit cutis nunc transpirat, cum singulari levamine, et inter sudorem, alvum laxam, liberamque sputi et urinae hypostaticae excretionem, febris impetus et angina cessant. In cutis superficie vesiculae parvae vacuae, ab elevata epidermide generantur, et inchoantis sunt decorticationis signa, quae succedit non sine magno pruritu majoribus aut minoribus frustulis,

Faciei enim et trunco furfuraceae squammulae farinae adinstar videntur inspersae, in manibus vero et pedibus integrae lamellae sat longae lataeque deglubuntur, donec deposita vetusta cuticula, nova nitida et sensilis, totam tegat corporis superficiem, in qua saepe relicta hincinde puncta observantur, quae acicularum referunt puncturas (Schmalz l. c. pag. 333), Raro defluit capillus, nec facile absedunt ungues. Ab interna tamen faucium pariete, praesertim dum angina ferocior solito fuerat praegressa, cuticula solet renovari (Vogel l. c. pag. 228).

Absoluto hocce stadio, plerumque vires redeunt aegrotantibus, et incolumitas. Saepe vero sub maligna aeque ac benignissima scarlatina, in alius generis morbos incidunt, qui vel eluctantur sensim, vel per varios gradus et tempora trahunt, donec incolumitate omni contrita mors claudat miseriarum agmen. De quibus tamen alio loco.

B. Decursus scarlatinae anomalae. Ad synocham usque ubi extollitur febris, quae comitatur scarlatinam, vel ab aegrotantis dispositione, vel a genio epidemico, vel ab alia causa; frigus ab initio solemne excipitur calore non interrupto mordaci, qui maximum saepe gradum attingit. Ictus arteriarum pleni et suppressi tanguntur, respiratio brevis et anxia est, atque efflorescentia aut nulla conspicitur, aut sub intollerabili aestu maximo pruritu evoluta tumultuarie, primo saepe die, omnem cutim profundo rubore suffundit, cui pustulae quandoque insident lympha repletae. Faucium tumor et incendium maximum suffocationem minatur, aut nullum fere adest, cum morbi periculo. Solent enim deliria furiosa sequi, aut spasmi et convulsiones, aut sopor, status subapoplecticus et mors. Turgor capitis maximus, carotidum valida vibratio, et reliqua encephalitidis signa raro desunt, aut inter doloris pleuriticos et maximas pulmonum congestio-

nes vix dilatatur thorax brevi et obliquo respirio. Rarius viscera abdominalia patiuntur. Hac sub scarlatinae anomalia Reil (l. c. pag. 111) et Siebert (Archiv für Volksarzneikunde Bd. I. pag. 110) ipsam hydrophobiam quoque conspexerunt. Hic morbi status raro ad finem persistit idem; synocha enim effrenis et localis affectio, vel temperatur arte, vel natura medicatrice per narium haemorrhagiam, sudorem etc. vel e maximo hypersthenaie gradu, in debilitatem indirectam conjecta, novae anomaliae speciem obtrudit; quam dicunt nervosam.

Scarlatina putrida pleno et forti pulsu orditur, nec differt sub initio ab illa quam cum febri synocha junctam supra exposuimus. Maculae vero efflorescentiae tumultuarie evolutae cito purpurescunt, coerulescunt, nec desunt petechiae et sugillationes. Virium cito labitur conditio cum pulsu parvo celeri et tremulo, qui saepe tardus et repens est, et cutis prurientis calor, multum percipitur auctus. Adest vero illa faucium passio, quam observatores angli malignam dicunt aut putridam aut gangraenosam, cum libenter in supurationem et gangraenam desinat. In inflammata utpote faucium pariete, primo aut altero morbi die, praesertim ad tonsillas, maculae discolores ex albo flavescentes conspiciuntur, quae sensim in crustas extensae, colorem obscurum referunt, cum margine rubro, et livido partium adjacentium colore. Crustae illae, quae tonsillas, velum pendulum palati, uvulam, oesophagum, tracheam et totas intus nares occupare solent, ulcera putrida celant, quorum acerrimus ichor, odoris nauseosissimi, contiguas inflammat et arrodit partes. Spiritus intolerabiliter foetet, vox rauca fit, aut plane supprimitur, atque ex narium pariete interna, saniosa materia depluit, quae non solum genas et manus infantum hoc morbo laborantium, sed digitos et brachia ipsius nutricis arrodit, et deglutita ab aegro pharyngis

et intestinorum inflammationem, vomitum, formina, dyssenteriam, meteorismum, imo ani quoque et gluteorum excitavit quandoque excoriationes. Ipsa trachea corroditur saepe et larynx, unde tussis, dyspnoea, phthisis, aut subita mors, dum acri materia ad pulmones delata, more peripneumonicorum exstinguuntur. —

Anomalam praeterea viam sequitur scarlatina, cum coincidit cum gravi dentitionis negotio aut alia evolutionis physiologicae periodo, nec desunt exempla scarlatinae morbo chronico anomalae factae. Quam vero aliqui cum alio exanthematis essentialis genere, praesertim cum variola et morbillo proferunt complicationem (Vogel l. c. pag. 338), hanc summe dubiam esse credit Hecker, cum constet, variolas arte insitas, morbillo superveniente, nonnisi processu contagioso posterioris absoluto erupisse; quod et in scarlatina observatum fuit.

Aetiologia.

Rerum natura et indole recondita, amplissimus patet ingenio humano opinionum campus. Id quoque in scarlatina accidit, cujus causam ingenioso ac lubrico hypothesium stratu superstructam miramus, quin ulla in praxin medicam redundaret utilior. Sydenhamus jam levem sanguinis effervescentiam ait a praegressae aetatis calore, quod tamen nec maximo viro sufficit, cum alios modos, quibus excitetur, agnoverit. Mortonus scarlatinam vel ab ambientis aëris injuriis, vel a frigore poris admisso, vel a miasmate contagioso generatum credit, unde fermentum colliquativum et deleterium pro continenti sortitur. Cum post luem bovillam Navier exortam conspiceret scarlatinam, et in utraque morbum videret desquammatione terminatum, a lue bovilla ejusque infectione hanc oriri argumentatus est. Acredinem specificam Ueberlacher (Ab-

handlung vom Scharlachfieber. Wien, 1789. pag. 31), biliosam, pituitosam et putridam volatiliorem caeteris Stollius (Ratio medendi. Tom. II. Viennae, 1764. pag. 70 et 71) et Gorter (Systema praxeos medicae lib. III. tit. 4. §. 209), acre catarrhale aut scrofulosum alii assumunt, aut ejusdem causae sobolem proclamant scarlatinam, quae par est producendae erysipelati, quin tamen his omnibus, ignorantiam tollant, quae huc usque tegit contagionis scarlatinosae naturam.

Consentiunt recentiores fere omnes de contagio, quum tamen sint, quibus causa miasmatica in morbo scarlatinoso displiceat. Si strictissimo sensu accipiatur contagium, inquit Wendemeier (historia Scarlatinae nuper Göttingae grassatae. Göttingae 1785. pag. 19), ut nempe involvat miasmatis specialis praesentiam, tunc dubitare fas est, an vere contagium habeat scarlatina. Si vero illum morbum contagiosum dicere licet, qui in familiarum lectique socios aut contabernales proserpit, tunc vere contagiosa est. Quomodo autem sine miasmate scarlatinae originem et propagationis modum sibi imaginatus sit de eo in universa ipsius dissertatione nusquam quid legitur. Idem statuit celeberrimus Marcus (l. c. Thl. III. pag. 242). Scarlatinam enim morbum dicit epidemicum per aëris constitutionem et climatis influxum generatum, qui aliis comunicatur, dum perspiratio membranae inflammatae maligna et mephitica qualitate aëris ambientis imbuta, organon dispositum ferit. Ast rarior profecto est scarlatina, quam ut a tempestatis mutatione aut ab aëre depravato queat derivari, nec salvaret contactus fuga, si latius extensae atmosphaerae influxus, procreando morbo solus foret idoneus. His accedit, quam nuper Reich (neue Aufschlüsse über die Natur und Heilung des Scharlachfiebers. Halle, 1810) retulit opinionem prodigiosam, qui sine omni contagio in sola genesi epidermidis novae et nitidae,

essentiam ponit morbi scarlatinosi; sub quo evolutionis processu, vetusta, et incrassata epidermis, viam praecludit tamdiu calorico accumulato, donec findatur et sub furfurum et lamellarum forma secedat. His tamen omnibus miasma seu proxima processus scarlatinosi causa vix ac ne vix quidem impugnatum est, quod Hufeland (System der pract. Heilkunde. Thl. II. pag. 105), Richter (Spec. Therapie Thl. II. pag. 429), Kreyſsig (l. c. pag. 73), Cappel (Abhandlung vom Scharlachauschlag. Gttgn., 1803. pag. 110) et alii mojori longe fortuna deffendunt, et quod Reil (l. c. pag. 120) sat apte, den Scharlachstoff appellavit. Hoc miasma in cujus indolem, genesin et primordia, frustra inquires; favente ignota aëris constitutione, sub omni anni tempore, humido praesertim (marcus Spec. Therapie III. Bd. pag. 248) propagatur. Adpellit organismo disposito viventis vel immediato, vel mediato contactu, vel per atmosphaeram, in qua suspensum est, seu vehiculum ad certam distantiam ab aegro ad sanum translatam, atque sine discrimine teneros infantes aeque ac adultos plectit. Cum vero miasmata omnia in regnum muci agant, et per mucosas in corpus suscipi, videantur membranas late patentes, germen scarlatinae futurae eandem viam sequi plus quam verosimile est.

Quamdiu seminum hujus affectus in corpore delitescat, priusquam accendat scarlatinam, id non satis habetur exploratum. Confert autem ad abbreviandam aut protrahendam hanc moram plurimum receptivitas, qua deficiente generatim nec oriri potest, nec persistere morbus.

Characteris denique, formae et complicationis diversitas, nec non anomaliarum grave periculum, non in miasmatis propria indole velis invenire, sed in singulari cujusvis aegrotantis individualitate, qua modificatur; praesertim vero in aëris constitutione, et atmosphaerae ambientis, quae ma-

majori longe potentia pollet, ad mutandam indolem scarlatinosi morbi, quam in alio genere febrium exanthematicarum.

Divisio Scarlatinae.

Scarlatinam, quae vel sporadica singula individua plectit vel late per dispositum populum divulgatur epidemica, in malignam et benignam distinguunt. Benigna est, ubi symptomatibus levibus et vix molestis stipatur; maligna, ubi offert phaenomena periculosa et atrocia.

Quoad extensionem supra cutim scarlatinam vel universalem dicunt, vel partialem, vel absque omni efflorescentia. Practico tamen intuitu praeplacet illa divisio, quae ex febris sibi conjunctae natura repetitur, cum omnino huic adcommodanda sit therapeusis. Hinc generatim scarlatinam in simplicem et regularem, et in complicatam sive anomalam dispescunt, anomalae febris quatuor species discernentes prouti vel synochae charactere, vel nervoso, vel putrido aut gastrico et bilioso implicata occurrit. —

Terminatio.

More cujusvis alius morbi scarlatina vel abit in sanitatem, vel in aliud morbi genus, vel in mortem.

Sanitas succedit generatim, ubi scarlatina simplex, levior, moderata cum virium vitalium exorbitantia, stadia rite percurrit, apte tractata, efflorescentia nec in expansione turbatur, neque retropellitur in decursu, organa nobiliora non patiuntur nimium, aut plane nulla illorum animadvertitur affectio, atmosphaerae ambientis conditio favet, nec non indoles genii epidemci, et ab aegro dum convalescit aptum et accomodatum continuatur regimen.

In alios morbos terminatur scarlatina saepe

saepius, e quibus omnibus hydrops tam frequenter solet sequi, ut a quibusdam pro altero stadio scarlatinae habitus fuerit. Iuniores enim, hiberno et humido tempore, vel a maturiori expositione corporis in aërem, frigore ventisve inimicum, vel ab alia causa, quos jam in vado constitutos esse credas, cum optime valeant, elapsis decem aut quatuordecim diebus a dissipata scarlatina, aut serius, lotium parcum offerunt aut plane cohibitum, quod phoenomenon concomitatur artuum lassitudo et dejectio virium, et abdomen non raro immaniter tumet. Quandoque gravia hydrocephali et hydrothoracis sequuntur signa.

Rarius febri inclinata et victa quandoque glandularum aut parotidum oriuntur tumores, qui in pus abeunt, aut indurantur. Non raro impetigo chronica, aut ophthalmiae, aut caries sequitur, quae teneram ossium nasalium et palati texturam lente consumit, vel faucium suppuratio, aut tracheae, aut laryngis, unde tussis chronica, pulmonum, phthisis, quae aegros per varios hecticae anfractus trahit, donec vitae flamma, quam egerrime alent, prorsus exstinguatur. Artuum quoque vexant dolores posthumi, quales sunt rheumaticorum chronici.

Moriuntur vero vel apoplectici, ubi faucium inflammatio atrox aut encephali affectus gravior fuerit, inquietudine, anxietate, feroci delirio, comate, sopore, praegressis; aut suffocantur vehementi cynanche, peripneumonia, pulmonum nimia debilitate, et paralysi; vel indirecto modo viribus exhaustis, nervosa lenta, aut suppuratione, phthisi, tabe, gangraena, mortem valent consciscere, praesertim hydrope ipso, qui frequentissima morbi causa. —

Prognosis.

Pro varia febris indole, complicatione, decursu, affectionis localis gradu, exanthematis in-

dole et forma; nec non pro varia subjecti aetate etc. varia est.

In simplici scarlatina et benigna, nisi male tractetur, pericula sub febri non sunt. Anomala aut complicata semper simplici pejor. Synocha cum vitae discrimine accedit; pessimum vero connubium cum nervoso aut putrido charactere. Plurimi moriuntur in altero morbi stadio, tertium malis posthumis infensum est.

Quo major deglutiendi difficultas, quo gravior est angina, quo latius inflammatio proserpit, quo haeret profundius: eo major fieri potest conjunctura de periculo aegri, praesertim ubi in suppurationem vergit aut gangraenam. Bonis adnumerantur signis, ubi guttur extrinsecus magis tumet (Hyppocrat. Aphorism. 37 Sectio VI. . Gravedo, nares obstructae, e quibus saepe materia puriformis acris aut saniosa destillat, mali semper ominis est (Acta societat. medic. Hafniensis Vol. II. Hafniae 1779). Solent enim plerumque sequi gravia encephalitidis signa et mors. Periculosa est pectoris oppressio, respirium praepeditum, sputum cruentum et quae peripneumoniam comitantur. Bonum praedicatur, ubi non semel ac simul, sed sensim et non ante tertium diem fiat exanthematis eruptio. Quo citius et copiosius corpus obsidet, multum pruriens, profunde rubrum: gravior esse solet morbus. Periculosum est, si infantes debiles sunt, et ex retardata eruptione convellantur. Si modo pallent, modo rubent, modo minus prominent, modo magis maculae, deliria plerumque sequuntur cum morte.

Vix illum fugiunt quibus maculae hicinde nigricantes, petechiis et miliaribus mixtae cutim tegunt, aut si in debili aegro insuper deliria, diarrhoea et colliquativae excretiones cum viribus vitam exhauriant. Dum exanthema floret, nisus ad matulam, cum lotio tenui et aquoso, maximi est discriminis; indicat enim exanthematis retrocessionem futuram, unde symptomata nervosa.

Quo plura horum comparent eo pejus. Somnolentia, coma, sopor, apoplexiae nuntii sunt.

Infantes, nisi neonati, aut ad ubera matris facilius convalescunt quam adulti (Hufeland's Journal. St. XII. pag. 48) malum est, si dentitio accedat aut vermes.

Bonum est, desquammationem sudor sequitur cum levamine, aegri bene se habent, cibos appetunt, viribus valent, atque excretiones omnes naturaliter procedunt. Si vero post superatam scarlatinam inquieti sunt et insomnes, lotium parvum offerunt, aut de cohibito conqueruntur: signum est tumorem leucophlegmaticum esse in propatulo. Hic enim pulsu febrili conjunctus, majus portendit periculum, quam si fuerit sine febri. Pereunt vero plerumque, dum raptus fit seri ad cerebrum, aut decubitus ad cavitatem thoracis, et rarissime salvantur. —

Therapia.

In scarlatina simplici et benigna multo medicamine opus non est; apto potius solvitur regimine, quam medico apparatu. Sufficit tractamen antiphlogisticum, cibus eupeptus, parca quantitate suggestus, potus aciduli ex aqua et acido vegetabili, infantibus lac aqua mixtum aut potu theato leniter diapnoico. Temperatura atmosphaerae ambientis moderate sit calida, evitato aëre libero ventis et frigore inimico. Sit denique corporis et sensuum quies servata, abjecto omni noxio strangulorum onere.

His ut vulgo satisfiat, quae lenia dicuntur antiphlogistica possunt adnecti, emollientes potus. et quae levi stimulo diaphoresin ciente instructa sunt, qua mite calcar tardantis exanthematis, quo sambucina, potio Riveri ex acido citrico cum sale tartari saturato, spiritus mindereri etc. spectant.

Ubi vero ferocius paulisper decurrit, majori

longe medentis opus est dexteritate. Felicius res eorum agi comprobavit medentibus experientia, quorum cura incepit ab emetico, licet proprior ad emesin non fuerat indicatio. Praeter vomitum enim, quem excitat, valida simul et salutari omnium systematum alternatione, secretionis alacritatem promovet, stagnantium motum, resorbtionem et progressum per vasorum radiculas, nec non spasmos solvit cutaneos, adeo, ut relaxata omni cutis strictura, exanthema libere efflorescat.

Praeter vomitum proficuas nuper Stieglitz in omni scarlatina proclamavit lenes alvi expurgationes per antiphlogistica salina et vegetabilia.

Febris inflammatoria et affectio localis dum exasperatur multum, atque morbi vis plane ad caput irruit aut pectus, tantum abest ut exanthematis efflorescentia apparatui antiphlogistico generosiori et venaesectionibus adversetur, ut ab ista potius liberior exanthematis expansio, et tumoris ad guttur praefocantis resolutio dependeat. Hyrudinum usus fit sub leni malo, aut cum localis affectio urget, vel in infantibus, ubi venaesectionis agunt vices.

Magnum auxilium a recentioribus quibusdam a mercurio dulci habetur confirmatum, in omni scarlatina praesertim vero ubi debilitatem futuram metuunt aut capitis affectum. Reil et Jahn (neues System der Kinderkrankheiten pag. 384) magnam illius dosin suadent, adultis quinque aut decem grana omni trihorio, Hufeland unum aut duo grana ter de die, Stiglitz mane et vesperi granum unum aut duo.

Acidis mineralibus praeterea multum tribuunt; Eichel, Struve, Stieglitz sulphurico; Stanger et Braitwaite muriatico oxygenato, quod Willan quoque felici successu adultis ad drachmam dimidiam pro dosi, infantibus vero ad guttas decem aut duodecim cum aqua destillata exhibuit. Jördens et Jahn acidum salis, Dürr acidum nitri fumans, in nervosa praesertim scarlatina cum sy-

rupo, et decocto avenae decorticatae celebrarunt.

Magnam meretur attentionem perfusio frigida, quae populo medico in recentem memoriam tracta, a celeberrimo Currie (über die Wirkungen des kalten und warmen Wassers etc. aus dem engl. von C. F. Michaelis. Leipzig, 1798. Bd. 2. pag. 46) multisque aliis praeclaris in arte, non solum in typho, sed praecipue quoque in scarlatina, seu efficacissimum remedium, institutis summa cura observationibus, comprobatum est.

Sub nervosa complicatione ab evacuantibus abstinendum, viriumque vitalium erigendarum habenda est ratio. Pro vario debilitatis gradu, morbi forma et complicatione, eadem prorsus indicatio sectanda est, quae therapiam regit febris asthenicae omnis et nervosae.

Ubi eruptionis periodo ad finem vergente aut appropinquante desquammatione absque manifesta regiminis et curationis culpa disparcat omnis efflorescentia, gravissimo cerebri et nervorum affectu pedissequo: habito omni respectu quae sub est hinc phoenomeno periculoso in revocando exanthemate ad cutim omnis opera ponenda est. Mochus cum mercurio dulci hunc in finem laudatur, camphora, sal. c. c. volatile, vinum, potus tepidi diapnoici, fomentationes et balnea excitantia etc. etc.

Ad putridam indolem dum abripitur, si reactio quaedam a viribus multum collapsis exspectanda, praemisso emetico stimuli generosissimi adhibendi sunt, praesertim camphora, mochus, naphthae, serpentaria virginiana, angelica, calamus aramata etc. Speciale vero remedium in omni scarlatina maligna et putrida est cortex peruvianus. Hic vel in saturissimo decocto, vel in extracto, ab unde prorrigendus, cum vino generoso aliisque excitantibus. Acida quoque mineralia interpolata conducunt, praesertim ubi malignitas crescit. Mercurium dulcem angli nuper celebra-

runt, nec non piper cayenense, a quo Stephans (Edinburger medic. commentarien. Decad. 2, Bd. 2. pag. 75.) singulare saepe auxilium, sub pessimo rerum statu expertus est.

Gastrica colluvies et biliosa generatim evacuantibus amovetur, vel sursum, vel deorsum. Cavendum tamen, ne ventriculi subversionem, nauseam, vomituritionem, quae ab inflammatorio saepe stimulo oriuntur, emeticis incaute et cum certo aegrotantis damno pertractemus. Vermium quoque expulsio vix tendanda sub ipsa scarlatina, nisi haustu salino, aut enematibus e lacte et melle, quae sufficiunt ad inducias ineundas. Ubi autem ob nervosa symptomata ab illis excitata, augetur periculum cum morbo: calomel, valeriana, camphora, moschus, flores zinci, abhibentur.

Locale auxilium quod anginodes affectus simplici et benigno in malo poscit, exiguum est. Quandoque enim collum panno flanello munitum sufficit, aut gargarismata ex infuso sambuci, salviae etc. cum aceto, vel vapores tepidi spongia, infundibulo, aut proprio apparatu excepti. Extrinsecus gutturi sapo amoniacalis illinitur, aut sinapismi applicantur, aut vesicantia, promptae resolutionis ergo. Sub majori tamen incendio et statu humorum phlogistico, praemissa venaesectione hirudinibus suffocationis discrimen avertitur, et gargarismate blando, leniter resolvente, acidulo. Hufeland (System der pract. Heilkunde l. c. pag. 110) emollientibus externe admotis, collutoriae ex aceti lythargyrii guttis duodecim cum aquae destillatae unciis octo, uno aliove die adhibito, compescuit faucium affectum praesuffocantem. Cavendum tamen, ne deglutiatur ab aegris, praesertim junioribus. Magnam simul laudem sibi calomel hoc in casu promeruit. Resolutis vero humoribus, praeter ea, abstergente et antiseptico gargarismate aut injectione, materies ichorosa e faucibus eluenda est. Quae autem putres-

centem indolem ulcerum corrigunt aut moderant, sunt: decoctum chinae; quercus, salicis, scordii etc. cum acido sulphurico, muriatico, aut aceto radicali.

Post scarlatinam, ubi desquammantur, curae esse debet, ut corpus linteis pannisve siccis ab aëre libero muniant, aspredinem tempestatis et frigus solerter evitantes. Transpiratio cutis infusionibus leniter diaphoreticis moderate promovetur, laxo et languido vero, tonica amara et cortex conveniunt, stimulo diffusibili juncta. Hufeland (l. c. pag. 112) seu optimum contra leucophlegmatiam prophylacticum, usum mercurii dulcis, per sex octove dies continuatum, commendavit.

Febri inflammatoria qui comitatur, leni catharsi salium familia discutiendus, at e classe diureticorum, quae mitius agunt et sine magno stimulo. Saepe ipsa venaesectio repetita desideratur, ubi acutissimis symptomatibus e pulmone inflammato incedit. Murcurium dulcem ad quinque et decem grana de die porrigunt, dum laticem suspicantur serosum corporis quopiam cavo retentum.

Asthenicae et frigidae indolis ubi fuerit hydrops, cum solidarum partium debilitate et inertia, praeter tonica amara, et quae compagem laxam emendare, systematisque lymphatici robur erigere valent, calomel, juniperi infusum, decoctum radicis senegae, terra foliata tartari, Kali cum aceto squillitico saturatum exhibentur.

Franck (Epitome Tom. III. pag. 103) et Neumann (Aufsätze und Beobachtuugen für Aerzte Bd. I. pag. 330) ubi ex subjecti morbique praegressi natura, aut ex symptomatibus nervosis, spasmodicam anasarcae indolem suspicabuntur: camphoram, moschum, opium arripiebant.

Haec omnia apto regimine sufficienda sunt, cutis functionem prae aliis respiciente, balneisque

aromaticis, frictionibus cum pannis asperis, calidis, fumo resinoso imbutis.

Corpore ab aquis liberato roborantium usus omnem curam claudit. Cortex, quassia, extracta amara cum diffusibilibus, vinum et prae caeteris martialia.

Haec de therapia. Excederet enim cancellos dissertationem circumscribentes, si cura quoque metastasium numerosissimarum et morborum secundariorum uberius et ultra exponeretur, quae praeter hydropicam corporis intumescentiam saepe saepius scarlatinam sequuntur. —

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Carolus Brisken Arnsbergae Guestphalorum anno MDCCXCIV die 1mo Decembris natus sum. Ad duodecimum annum litteris, quibus aetas puerilis imbui solet, instructus. Deinde Gymnasio arnsbergensi quatuor annos frequentato, in pharmaceuticas artes animum converti. Anno MDCCCXIII relictis studiis pharmaceuticis, martem inter copias magni ducis Hassiae secutus sum. Pace reconciliata in patriam reversus, animum in medicas artes converti, studio medicinae Giessae annum unum et dimidium tribui et praelectionibus de Psychologia et Logica illust. Schaumann; de Osteologia, Anatomia, Botanica, Physiologia generali et speciali, et historia naturali illust. Wilbrand; de Mineralogia perillust. Müller; de Pharmacia, materia medica, chirurgia medica et Acologia illustr. Voigt; de Physica experimentali illustr. Schmid interfui. Quo facto Berolinum petii, seduloque in hac academia

interfui illustrissimi Hufeland de morbis acutis praelectionibus; perillust. Horn de pathologia, therapia speciali et lue venerea; perillust. Hermbstaedt de chemia experimentali; perillustr. Graefe de fracturis et luxationibus; perillustr. Rudolphi de anatomia et de organis sensuum; perillustr. de Siebold de arte obstetricia theoretica et practica; perillustr. Knape de Syndesmologia; perillustr. Rust de cursu operationum chirurgicarum; denique illustr. Horkel disciplinis anatomiam et physiologiam comparatam introducentibus, neque exercitationibus in anatomice practicis in regio theatro anatomico duce perillustr. Rudolphi et Knape, defui. Nosodochium Caritatis, exercitationes practicas moderante perillistr. Horn, et clinicum chirurgicum duce perillustr. Graefe visitavi. Paterea exercitationes practicas in arte obstetricia illustr. Friedlaender frequentavi. Tentamine et examine rigoroso coram illustri facultate in alma berolinensi legitime absoluto, ut summi mihi in medicina et chirurgia honores concederantur, submisse precor. —

THESES DEFENDENDAE.

I.

Pleuritis a Pneumonia distingui nequit.

II.

Rheumatismus et Arthritis sunt morbi diversi.

III.

Vomitus vomitu sanatur.

IV.

Rubeolae a morbillis essentialiter differunt.

V.

Datur scarlatina febris sine exanthemate.

VI.

Catamenia, in morbis inflammatoriis non multum levaminis adferunt. —